



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Tertia. De Visibili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

felium, hoc non provenit, quia oclorum compositio in generali sit ex natura ignea, sed quia hoc illis particulariter convenit ex lumine ipsi naturaliter infuso. Quodque oculi velocius moveantur, quod aliquin igneam arguit naturam, hoc provenit ex lubricitate eorundem, ut ex virtute motiva, seu ex copia spirituum, qui per nervos opticos ad oculos transmittuntur, hinc quia omnes cholericus plures & vivaciores spiritus transmittunt ad oculos, videntur oculos habere quasi igneos, in quo etiam sensu intelligatur Aristoteles in problem. sect. 31. &c. Haec de primo examinabili, quantum ad secundum plures fuerunt Authorum sententiae, nam aliqui in conjunctione nervorum optico- rum ponunt sensorium visus; aliqui in nervis & simul in pupilla, alii in tunica aliqua, & maxime in aranea, sed ego pro resolutione:

V. *Infirmitas visus est in humore Chrifallino.*
Dico: *sensorium visus non est constitutum in tunica aliqua, vel in nervis opticis, sed in humore Chrifallino.* Ita communior.

Probatur prima pars: Quia tunicae sunt membra ordinata ad alia, ad ipsos humores scilicet continendos, ergo ipsae non sunt sensorium visus, & licet tunica aranea maxime inserviat pupillae, ut pars eius videatur integralis, hinc tamen adhuc sensorium visus poni non debet se sola, sed simul cum Chrifallino.

Probatur secunda pars: Quia nervi sunt naturae terrestres secundum Medicos, dispositio autem sensorii visus est transparentia & diaphaneitas, quam nervi propter tere- restremitatem non habent, ergo.

Probatur tertia pars ex autoritate D. Augustini Enarrat. in psal. 16, in illa verba: *Custodi me ut pupillam oculi*, quibus subdit, *quae apparet per parva & exigua, per eam tamen dirigitur acies luminis, quo lux & tenebrae dijudicantur.* Et lib. de quant. an. cap. 14. *Cum autem oculi medium, quae pupilla dicitur, nihil aliud sit, quam quoddam punctum oculi, in quo tamen tanta vis est, ut & dimidium Caelum, cujus inessabile spatium est, ex aliquo eminenti loco cerni, collustrariq; possit:* Ubi semper pupillae attribuit vim & efficaciam videndi, sed pupilla est humor Chrifallinus, ergo. Confirmatur ex Aristotele lib. Gen. animal. c. 5. ubi ait: in ea parte effici visionem, quae tota nitida est, & splendida, ut ab omni colore, & luce moveri possit, sed humor Chrifallinus maxime lucidus & conspicuus est, ergo.

Probatur etiam ratione, quia praecipuum obtinet locum, cui reliquae partes omnes famulantur, & inserviunt, ut protegant; ut scriptura ipsa testatur, diligentes Deum debere petere muniri ut pupilla psal. 16. *Custodi me ut pupillam oculi.* Confirmatur, quia fortior ratio inveniri non potest pro opposito, nam quod Avicenna ait, si sensorium non esset in nervis opticis, objectum deberet semper apparere duplicatum, nihil concludit, testatur enim Vesalius, se Patavii hominem reperisse, in quo nervi nunquam convenerunt, nec tamen ipsi unquam objectum duplicatum apparuit; nec valet ratio Toletii, quod in pupilla esse non pos-

sit ex eo, quod sit humor, cum nos humores negaverimus animatos, nam quamvis hoc verum sit de caeteris humoribus per totum corpus dispersis, non est tamen eadem ratio de isto, qui semper in uno continetur loco, nec sine laesione moveri potest, minus denique convincit ratio Complutensium, cum enim visio una sit, superflue duplex assignabitur potentia visoria, alterius & alterius rationis, qualiter est nervus opticus, & pupilla. Sed

VI. *Non superfluum est duae potentiae visoriae.*
Opponunt: Potentia visiva est una, & visio circa objectum elicitur est una, ergo etiam unum subjectum, & non duo, sed tale unum subjectum non potest esse nisi nervus opticus conjunctus, ergo. Probatur antecedens, quia sufficit unus gustus pro omnibus saporibus, ergo etiam unus visus pro omnibus visibilibus. Respondeo negando antecedens, ad probationem dico, quod licet sit una potentia gustativa sufficiens, non tamen est sufficiens una potentia visiva, sicut enim non sufficienter providisset natura per unum oculum, ita nec per unam potentiam, unde sicut non superfluum est duae potentiae auditivae, & duae pupillae ac duo oculi, ita nec superfluum est duae potentiae visivae, conducunt enim ad prospicienda visibilia ex omni parte loci.

Instant: Si potentia est duplex & etiam visio, ergo etiam objectum duplex apparere debet, Respondeo negando consequentiam, nam oculi sunt in aequali situ, & aequaliter mutantur ab objecto, adeoque non debet apparere objectum duplicatum, sicut nec propter potentiam duplicem auditivam, vox percepta, ut geminata percipitur.

QUAESTIO III.

De visibili.

Non modo potentiae visivae sed etiam omnium aliorum sensuum externorum objecta pulchre & breviter describit D. Augustinus lib. 83. q. q. 64. *Unus sensus ad oculos pertinet, quo lucem istam visibilem, formasq; corporum cernimus. Alter aurium, quo vocum & omnium sonorum momenta sentimus. Tertius est narium quo varia odorum suavitate delectamur. Quartus in ore gustus, qui dulcia & amara sentit, & omnium saporum habet examen. Quintus per totum corpus tangendo dijudicat calida & frigida, mollia & dura, levia & aspera, & quidquid aliud est quod tangendo sentimus. Similia habet serm. 33. de verbis Domini, unde quantum ad praesens est, mens D. Augustini, sicut & D. Bernardi serm. 2. de assumpt. B. V. n. 7. ac communis est visibile esse lucidum coloratum; quare ad potentiae visivae objectum tria spectant, nempe Lux, Lumen & Color, quae hic examinanda assumpti eorundem naturam explicando, & ante omnia*

II. *Lux & lumen non sunt formae substantiales.*
Suppono ex quaestione octavae praecedentis Disputationis lucem nec lumen esse formas substantiales, licet sic videatur sentire D. Augustinus lib. 4. de an. & ejus orig. 12. *Corpus est aer, corpus est lux ista visibili.* Lib. 3. lib. arbit. 5. *In corporibus tenet lux primum locum, quia per corpus intelligit qualitates & acci-*
Aaaaa 3 dentia

dentia materialia, ut se ipsum explicat lib. mag. cap. 3. dicens. Ego cum corpora dicerem, omnia corporalia intelligi volebam, id est ea, quae corporibus sentiuntur. Non esse autem substantias patet ulterius, nam lux & lumen sunt per se sensibiles, non autem substantia, suntque in aliquo accidens, & quod alicui est accidens, in se est accidens, sed lux in igne non potest esse forma substantialis, quia vel esset ultima differentia specifica ipsius ignis, & ita omnia habentia lucem, essent ignis; vel ejusdem rationis cum ipso; vel esset in potentia ad formam ultimam ignis, & ita esset imperfectior forma substantiali ignis, nulla autem forma substantialis reperitur in corporibus Caelestibus imperfectior essentialiter forma substantiali elementari, sed reperitur lux in corporibus Caelestibus, ergo non potest esse lux in se in potentia ad formam ignis, adeoque lux nulla erit forma substantialis. Idem patet de lumine, nam accedit, & recedit a medio nulla facta mutatione substantiali ipsius, ergo cum medium, seu aer non mutetur, seu moveatur adveniente lumine, sequitur non esse corpus, neque formam substantialem. Quo supposito

III.
Definitur
lumen ex
Aristotele.

Aristoteles 2. an. t. 69. definit Lumen, quod sit actus secundum quod per speculum est, perspicuum autem dixerat esse, quod est visibile non secundum se, sed propter externum colorem, quam definitionem luminis etiam suscipit Mastrius, adeoque dicit Aristotelem per perspicuum intellexisse illud, quod est secundum totum tale, diciturque interminatum, eo quod nullo modo terminat visionem, ut sunt Caelum, ignis elementaris, aer, aqua, & nonnulla mixta, qua videri non possunt nisi terminentur ab aliquo opaco, & ait non esse secundum se visibile sed per externum colorem, ubi per externum colorem, lumen intelligit, sed quia illa definitio non sufficienter explicat per ordinem ad perspicuum, lucem vel lumen, nec glossata Mastru. eam faciliorem & clariorem reddunt, omnino ab eo erit recedendum, quare cum Pontio

IV.
Describitur
lux.

DICO I. Lux bene describitur quod sit qualitas ex se visibilis independenter ab alia qualitate, quae non est species intentionalis ejus, consequens naturam sui subjecti ut ut connaturaliter nequeat produci aut destrui, non productio aut destructio subjecti. Probat, quia omni & soli convenit, ut patet declaratione. Dicitur qualitas cum substantia non sit nec quantitas ob eandem rationem: Dicitur Ex se visibilis independenter ab alia qualitate, ut excludantur colores, qui sine lumine videri non possunt; ponitur quae non est species intentionalis ejus, quia ut lux videatur talis species requiritur, additur consequens naturam sui subjecti, ut distinguatur à lumine. De quo

V.
Lumen est
qualitas in-
tentionalis.

DICO 2. Lumen non est qualitas realis, sed intentionalis, primum species visibilis lucis, secundarium species primarii. Ita Mastrius, &c. ante probationem

Notaprimò: Dum dico lucem esse qualitatem realem, lumen verò non, me non capere hic qualitatem realem pro tali, quae opponitur enti rationis, hoc est quod non sumatur pro qualitate realiter existente, aut existe-

re potente existentia verà & reali, quia non potest esse dubium quin lumen sit talis qualitas, quandoquidem evidens est, quod non sit ens rationis, sed qualitas realis accipitur hic pro qualitate illa, quae non est intentionalis, qualitatem autem intentionalem sumo eam, quae praeter hoc quod sit realis, habet esse speciem determinantem potentiam ad sensationem.

Nota secundò:

Per lumen primum intelligere me illud quod immediate à corpore lucido producitur, excludens à sublimo non tantum tenebras, sed etiam umbram, & dicitur primum, quia per illud videri potest corpus lucidum à quo egreditur, lumen secundarium verò non producitur immediate à corpore lucido, sed à lumine primario excidens à subiecto tenebras tantum, non verum umbram. His praenotatis probatur lumen esse speciem lucis: Si lumen non esset species lucis, sed res visibilis, & sensibilis realis, posset supra sensum impediret sensationem, sed lumen non impedit sensationem, sed potius parat ad eam faciendam, ergo non est qualitas realis, sed intentionalis species lucis; probatur minor, quando corpus lucidum diffundendo radios per medium, imprimit lumen in oculo, non impedit visionem, sed potentiam in tantum parat, ut sine tali impressione nunquam videret objectum lucidum, ergo lumen erit species lucis. Quod confirmatur, quia habet omnes conditiones speciei impressae, ergo probatur antecedens, quia dependet à luce in fieri, & conservari, caret contrario, producitur in instanti, deservit, & est omnino necessaria ad videndam lucem, ergo. Probatur de lumine esse secundario, quia per lumen secundarium vere conspicimus primum, ergo est eius species; probatur antecedens, quia tunc non videmus lucem solis, verbi gratia, sed lumen à sole productum, dummodo sit ad aliquod opacum terminatum, hoc namque convenit omni speciei visibili, quod scilicet non solum sit intentum, seu ratio videndi aliud, sed etiam se ipsi possit per aliam speciem videri, quando est ad opacum terminata, ut patet cum radius pertranseat vitrum coloratum, apparet color in pariete, qui color est species coloris vitri, nam si oculus superponeretur, videretur vitrum, ergo. Sed in contra

Arguitur:

Species unius contraria est cum specie alterius contrariis, sed lumen non stat cum speciebus contrariis, ergo lumen non est species lucis; probatur minor: quia non stat cum tenebris quae sunt ipsius contraria. Respondeo negando minorem, nam unum lumen stat cum lumine alterius rationis, verbi gratia lumen solis, cum lumine Lune, vel cuiuscunque alterius lucidi in eadem parte mediis, unde ad probationem dico, tenebras primum nullas habere species, nec esse species, sed esse privationem, & negationem lucis, unde non possunt stare cum lumine, sicut nulla alia species cum sua negatione stare potest, ex quo tamen inferre non licet, lumen non esse veram speciem, maxime cum alias conditiones omnes habeat.

Instatur: Si lumen esset species deberet posse produci à corpore lucido, vel à luce intentionaliter, sed non potest sic produci, ergò: probatur minor; Lux est forma activa nobilissima consequens etiam corpora Cœlestia, ergò non potest producere qualitatem intentionalem, qualis est species, quia forma nobilissima nobilissimus debetur effectus, realis scilicet, & non intentionalis. Respondeo negando minorem, cuius probationis antecedens concedo, & nego consequentiam, nam lux non producit lumen tanquam meram intentionem, sed intentionem, & rem simul, quod non convenit aliis formis.

Urgetur: Modus essendi naturalis, & intentionalis, sunt superioris, & inferioris ordinis, ergò nequeunt eidem lumini convenire, adeoque lux non producit lumen, quod esset res, & intentio simul. Sed Respondeo distinguendo consequens, non possunt eidem convenire secundum eandem rationem & eundem respectum, concedo; secundum diversam rationem diversumque respectum, nego: Unde lumen potest dici species intentionalis, quatenus est ratio tendendi in lucem & realis in quantum ipsum potest terminare sensationis actum.

Replicatur: Species non possunt terminare sensationis actum, ergò nulla solutio; probatur antecedens, species odoris non odorantur, species saporis non gustantur, ergò nec species visibilis terminare potest actum sensationis. Respondeo negando antecedens, nam species, quæ contiguatur opaco, vel est in opaco videri potest, ut patet in speciebus coloris, quando radii solares transeunt per vitrum coloratum, quæ videntur in pavimento, vel pariete opposito, ad probationem negatur paritas, quia sicut visus cæteris sensibus est perfectior, ita species visibiles sunt aliis speciebus sensibilibus perfectiores, & consequenter videri possunt etiam; nam quia de his experientiam habemus non de aliis. Imò dici potest alias species, esse meras intentiones, non sic species visibiles.

Quædam species prof. naturæ sunt in sensibus.

VII. Lumen est qualitas realis in intentione.

Arguitur 2. Lumen est qualitas realis, ergò non est species lucis; probatur antecedens, quia causat calorem, denominat subiectum lucidum, &c. sed hæc competunt solis qualitatibus realibus, ergò. Respondeo distinguendo antecedens est qualitas realis tantum nego; intentionalis etiam concedo antecedens: & nego consequentiam; ad primam antecedentis probationem dico illum calorem produci ab ipso illuminante; ad secundam Respondeo negando minorem omne enim & quæcunque forma denominat suum subiectum quando est aliquod nomen concretum ad hoc institutum, unde bene lumen potest aërem denominare, quamvis non alia species, tum quia hic invenimus aliquod nomen institutum, tum quia hæc species sunt aliis perfectiores.

Non semper debet videri subiectum à quo produci- tur species.

Instatur: Si lumen esset species lucis à quo procedit, verbi gratià Solis, quotiescunque proponeretur sufficienter lumen sic ut visio ad ipsum terminari possit, deberet videri lux, in eadem illa forma & figura quam habet, sicut

quando proponitur species hominis in speculo ipsemet homo in sua forma & figura apparet, sed hoc est falsum, ut patet experientia, ergò. Respondeo negando maiorem, neque enim obiectum à quo producuntur species, debet videri in loco ubi est species, nisi quando ipsummet producit speciem reflexam, Sol autem non habet virtutem speciem reflexam producendi ab omni loco in quo potest videri lumen.

DICO 3. Totum lumen primariò in medio diffusum immediatè producitur à luce, secundarium vero à primario. Ita Scotus 2. d. 13. q. 1. E. Probatur (supposito casuali exemplo scilicet sit candela intra ollam illuminans per orificium ollæ medium per quatuor vel plura pedalia) sic: Radius pedalis non causat alterum radium pedalem, ergò totus radius producitur à corpore lucido; probatur antecedens, si radius pedalis causaret radium tripedalem, candela illa non illuminaret medium per quatuor pedalia per lineam rectam, sed etiam per reflexam, sed hoc est contra experientiam, ergò: probatur sequela, quia si esset ille radius pedalis, quia causaret radium tripedalem, illum etiam causaret orbiculariter in quacunque parte medii usque ad opacum sicut per directum, quia utraque pars medii orbiculariter contenti sicut medii directi est æqualiter capax radii, & lux ac lumen se diffunderent orbiculariter, ergò. Confirmatur, si lumen pedale produceret lumen pedale, secundum produceret tertium, & tertium quartum & sic in infinitum, sed hoc, &c. ergò: probatur sequela, quia causa naturaliter agens & non inveniens resistentiam producit effectum quantumcunque magnum, sed lucidum est causa naturaliter agens non inveniens resistentiam, producit effectum quantumcunque magnum, sed lucidum est naturale agens, non inveniens resistentiam, ergò posset etiam minimum lucidum producere maximum lumen, quia posset producere primò lumen pedale, quod produceret tertium, & sic consequenter usque in infinitum. Probatur quòd lumen secundarium producat à primario, tum quia per lumen secundarium non videtur ipsum lucidum, sed tantum lumen primarium; tum quia sunt alterius rationis, ergò & aliam, & aliam efficientem exigunt causam; tum denique, quia hemisphericè diffunditur à primo; ergò signum est quòd ab illo producat. Idem dicendum de quacunque alia specie visibili.

VIII. Lumen primarium producit à lucido, secundarium à primario.

DICO 4. Productio luminis per totum medium fit in instanti. Colligitur ex Scoto 2. d. 2. q. 12. G. ubi habet quod non est inconueniens formam & alterationem aliquam totam esse simul quando agens respicit totum passum ut indivisibile, & formam secundum ultimum gradum secundum quem ipsam totam inducit tanquam indivisibilem, prout contingit de lumine. Probatur si illuminatio fieret successivè, sequeretur quòd Sol multum omnino temporis necesse haberet, ut totam hanc illuminaret machinam, & spatium inter Cœlum & terram distans, sed hoc non potest dici, ergò: probatur sequela, quia licet secundum aliquam partem sibi viciniorum posset fieri in tempore imperceptibili, non posset tamen per totum hemispha-

IX. Lumen producit in instanti.

nisphærium fieri in tempore imperceptibili, ergò requireretur multum temporis; probatur antecedens, quia sicut non est excessus imperceptibilis, sed perceptibilissimus secundum quem totum hemisphærium excedit partem illam vicinam, verbi gratiâ bipalmarem, sic non erit excessus durationis, seu successione totius illuminationis hemisphærii, & successione illius spatii bipalmaris imperceptibilis, ergò.

X.
Alius Sol non illuminaret citius, sed intensius, si perfectior esset.

Arguitur contra: Quò major est virtus, eò minus de tempore requirit ad agendum, quàm ubi minor est virtus, sed potest dari Sol perfectior & majoris virtutis, quàm sit Sol modò illuminans medium, ergò si ille illuminaret in minori tempore, quàm modò existens non posset illuminare nisi in instanti, quia non datur minor mensura, quàm instans, ergò modò existens non illuminabit in instanti. Respondeo distinguendo majorem, quo major est virtus, &c. si agens agat in mensura divisibili concedo; si agat in indivisibili nego majorem. In proposito autem Sol agit in mensura indivisibili, unde excessus Solis possibilis consisteret in majore & intensiore illuminatione non in minori mensura.

Instatur: Deberet etiam consistere in minori mensura, non tantum in majori intentione, ergò nulla solutio; probatur antecedens, haberet adhuc requisita ad minorem mensuram, ergò: probatur antecedens, quia tunc haberet adhuc distantiam spatii, sed sola distantia spatii causat successione, ut patet in motu locali, ergò haberet adhuc requisita ad minorem mensuram. Respondeo negando antecedens, cum antecedens probatione, cujus probationem distinguo, distantia causat successione quando agens respicit spatium ut divisibile, & non est omnibus partibus aequaliter præsens & applicatum, concedo antecedens, quando respicit ut indivisibile, & est aequaliter applicatum & præsens, nego antecedens: In proposito autem tam Sol existens, quàm possibilis respicit totum spatium ut indivisibile, illuminabile ideo in instanti, in totum operatur, cum toti sit debite applicatus & approximatus, si autem illuminativum non applicaretur nisi successivè, ut si quis paulatim & successivè aperiret fenestram ad illuminandum spatium palatii, tunc quidem illuminatio fieret successivè, quia lucidum successivè applicaretur, hoc tamen esset per accidens, attamen illuminaretur pars aulae propinquier fenestra simul & remotior si non esset impedimentum.

Distantia non semper causat successione.

Urgetur: Pars propinquier est magis applicata ad illuminandum, quàm remotior, ergò adhuc eam citius illuminabit: probatur antecedens, nam secundum Opticos radius prius & citius pervenit ad aliquod perpendiculariter, quàm non perpendiculariter, ergò pars mediè perpendiculariter citius illuminabitur, quàm alia. Sed Respondeo negando antecedens, cujus probationis antecedens distinguo prius pervenit radius ad aliquod perpendiculariter prioritate activitatis fortioris concedo; prioritate activitatis velocioris nego antecedens & consequentiam, nam æquè velociter illuminat sive perpendiculariter, sive non.

Dico 5. Lumen in diaphano solum recipitur secundum profunditatem illius, in opaco vero solum secundum superficiem eidem intrinsecè adjacentem & tangentem. Prima pars difficultatem non habet, unde probatur secunda, & in primis quòd in opaco recipiatur. Quia reflexio fit ex eo quando adveniente corpore opaco impeditur virtus agentis, ita ut quò corpus magis est politum eò major fit reflexio, ergò lumen intrinsecè attingit corpus opacum; probatur consequentia, quia si solum extrinsecè illuminaretur, seu si verè lumen non reciperetur in corpore opaco, sed solum extrinsecè per quandam adhaerentiam quatenus illuminat aërem, vel aliud diaphanum contiguum opaco, ex qua illuminatione videretur opacum, parum referret, quòd sit magis vel minus politum, sufficeret enim quaecunq; opacitas, ergò reflexio deberet intrinsecè attingere opacum, quia reflexio non fit nisi mediante tactu, si enim illud non tangeret ab eo non reflecteret, neque in illo produceret talem reflexionem, nam si ipsa non tangeret parietem, non posset reflecti ad illo, eò maxime, quia juxta majorem vel minorem duritiem reflectentis, major vel minor reflexio, quòd certè non eveniret, si non tangeret reflectens nisi extrinsecè, tunc enim equaliter ab omnibus recederet, ergò si lumen non vere afficeret corpus opacum secundum superficiem, sed solum conspiceretur ex illuminatione corporis diaphani opaco contigui, lumen equaliter ab omni corpore reflecteret, quòd tamen est contra experientiam, ergò. Probo etiam quòd tantum secundum superficiem, omnes illae partes corporis opaci sunt ejusdem rationis, ergò si reciperetur in aliqua parte etiam determinata secundum profunditatem, deberet lumen penetrare omnes illas partes, cum non sit ratio de una major quàm de alia. Haec de lumine & luce sufficient, nunc accedendum erit ad explicationem coloris, quòd est tertium visibile. Unde

Notandum: Colorem tripliciter fieri posse, primò communiter pro omni qualitate visibili, & à nullo alio sensu perceptibili, & hoc modo color coincidit cum luce & lumine; secundo valde improprie pro aggregato ex colore & luce existentibus in eodem subiecto ad organum Visus. Tertio proprie, & prout nobis de eo hic sermo est, pro qualitate visibili, ab alio sensu non perceptibili, quàm à visu distincta à lumine & luce, in quo sensu dicitur Aristoteles duas coloris definitiones tradidisse lib. 1. de sens. & sensib. c. 3. primam, & est hæc: *Color utiq; erit perspicuus in corpore determinato extremitas.* Secundam lib. 2. de an. l. 67. *Omni color motivus est ejus quod est secundum aliam perspicuam & hoc est ipsius natura:* Quæ definitiones bonæ sunt si color consideretur in ordine ad visionem, unde primæ sensus iste est: Quòd color fit in corpore terminato conjuncto corpori perspicuo secundum ejus extremitatem, si color debeat videri, tria enim requiruntur, ut color videatur, primò ut sit subjectivè in corpore denso terminatus; secundo quòd corpus perspicuum, seu transparent illi corpori termin-

terminato sit conjunctum, per quod diffunduntur species coloris usque ad visum, tertio, lumen in corpore perspicuo, cum color non diffundat species nisi per medium illuminatum. Sensus secundae definitionis est, quod scilicet color non possit emittre suas species usque ad potentiam visivam nisi prius intentionaliter moveat perspicuum, nempe medium illud intentionaliter movendo per species sui diffusas? Melius tamen mihi colorem videtur descripsisse Tartareus lib. de sens. & sensat. quæst. ultima. Quod color sit passio corporis opaci alterativa visus de potentia ad actum. Aut si tibi nec ista placet describe colorem cum Pontio: *Qualitatem esse non intentionalem, visibilem, sed non sine dependentia ab alia qualitate, quæ non sit species intentionalis ejus.*

XIII.

Colores alii
verales appa-
rentes

Colores in duplici sunt differentia Veri scilicet & Apparentes; Veri sunt, qui ex certa primarum qualitatum commixtione, vel aliunde resultant; Apparentes, qui ex diversitate luminis, vel multiplici irradiatione oriuntur, conveniuntque inter se in aliquibus, in aliquibus discrepant; conveniunt, quia sunt veræ res, nam non dicuntur apparentes quasi non habent propriam & veram entitatem, sed tantum quia in genere colorum non sunt veri; item quia utrique ad visionem faciendam interveniunt; tertio, quia non movent nisi sint in corpore sufficienter denso & opaco: discrepant verò, quia apparentes sunt formaliter lumen, non sic veri, ut dicam paulò infra; apparentes non diu hærent ut veri; tum denique ex parte objectorum.

XIV.

Colorem se-
nem opaco.

Colores veri in septem principaliter dividuntur capita, quorum duo dicuntur extremi scilicet *Albedo* & *Nigredo*, reliqui verò medii, *Purpureum* videlicet, *Ruber*, *Flavus*, *Viridus* & *Ceruleus*; qui iterum in diversas sortiuntur classes maximè secundum res in quibus prius reperti & cogniti fuere: *Purpureum* itaque dividitur in *Roseum*, *Crocium*, *Violinum*, *Ametistinum* & illum, qui est proprius conchilii. *Ruber* sub se continet *Rubidum*, *Rubicundum*, *Rutilum*, *Sanguineum*, *Gilvum*, *Spadium*, *igneum*, *Flammeum*, *Punicum*, *Vinosum*, & alios. Sub Flavò numerantur, *Mellinum*, *Pallidus*, *Buteus*, *Galbanus*, *Braxeus*, *Citreus*, *Crocium*, *Cereus*, *Aureus*, *Rufus*, *Fulvus*, *Æneus*, *Mustellinus*, *Ferugineus*, *Pellus*, *Roanus*, *Tanatus*, *Regius*, *Leonatus*, *Cerinus*, & alii. Sub Viridi *Ærugineus*, *Herbaceus*, *Prasinus*, *Lucidus*, &c. Ad Cæruleum spectant *Cæsius*, *Plumbeus*, *Glaucus*, *Venerus*, & alii.

XV.

Causa coloris
materialis
est opaco.

De Coloribus potissimum examinantur causæ eorum, quod Authores plures fasè præstant, ego tamen brevibus conabor rem expedit. Materialis ergò causa est subiectum quod informat, & quia solum informat subiectum, seu corpus opacum & densum causa ipsius materialis erit opacitas, non causa materialis ex qua, sed in qua immediatè subiectatur, cum ultimatè in substantia, cuius est, subiectetur, quæ opacitas sit per majorem constipationem, ut dum perspicuum, seu pervium propter partium tenuitatem non potest terminare visum, si postea partes magis constipentur terminabit

visum, & in superficie loco perspicuitatis habebit colorem quo terminabit visum, ut fit in cœlestibus, nam altra à cœlis differunt in densitate secundum probabilem, ubi quidem densitas non fit per admixtionem alterius corporis opaci, ut fit in sublunaribus, sed solum rarum vertitur in densum, unde in sublunaribus, quia elementa tria sunt perspicua, scilicet aer, aqua & ignis, & terra, sola opaca varietas colorum non solum pendet ab opacitate, verum etiam ex diversa mixtione primarum qualitatum, unde mixta in quibus est prædominium æreum, vel aqueum cum humido ac perspicuo sunt alba, cum habeant majorem convenientiam cum lucido, quod est album; si prædominetur ignis extenuans suo opacitatem colore, sunt lucida; si verò excedat terræ opacitas & ficcitas sunt nigra; hinc fit quod non tantum mixtio lucis & opacitatis, sed etiam mixtio primarum qualitatum sint causæ immediatæ effectrices coloris, vel ipsa substantia ex elementis sic mixtis genita.

Causa formalis est Com-
loris quidditas.

Ex quo etiam patet causam formalem esse ipsam coloris quidditatem & essentiam, distinguique, tum ab essentia superficiæ, seu à superficie contra Platonicos, quia superficies est de prædicamento quantitatis, cui contrarium nihil est, color verò unus contrariatur alteri coloris, una quantitas non potest aliam quantitatem compenetrare, color tamen compenetrat se cum alio corpore, albedo enim non tantum reperitur in superficie lactis, sed etiam in profundo. Tum à lumine, quia lumen est qualitas intentionalis, non sic color, qui supra sensum positus sensationem impedit, non tamen impedit lumen, habentque subiecta diversa, quæ autem diversa subiecta habent debent essentialiter inter se distingui, quia si eandem naturam haberent, deberent recipi posse in subiectis iisdem, lumen etiam accedit & recedit manente eodem subiecto, per quod erat diffusum, manente pariter eodem colore: Color habet esse permanens, lumen esse intentionale, & in continua dependentia à sua causa, vel saltem partem remanere potest tali dependentia, per quod clarè colligitur lumen & colorem esse qualitates realiter distinctas, quamvis non negem lumen tam ex parte medii, quam ex parte colorum requiri ut ipsi videantur, cum lumen sit principale objectum potentie visivæ, unde dici possunt colores dependere quoad operationes à lumine in quo sensu intelligendus erit D. Augustinus Serm. 84. de divers. dicens: *Lux facit formas, coloresque, differunt, in quantum res, suo nitore aspergit*, ut ipse loquitur Serm. 40. Temp. cap. 6. sic quoque intelligendum tum illud Poëtæ:

Lumen est
Color distinctus.

Rebus nox abstulit atra colores.

Virgil. Æneid. 6. tum illud Ecclesiæ in hymno feræ 4. ad laudes:

Rebus jam color redit vultu nitentis sideris.

Pro complemento hujus questionis & materiæ de visibili, restant explicanda nonnulla dubia, quæ & scitu jucunda & utilia sunt, & materiam præsentem faciliorem reddent.

Unde

Bbbbb Quæres

F. Amandi Hermann Physica.

XVI.
Resolvitur
questio de
polygono.

Quæres primò: Cur aspicienti per polygonum unum objectum representetur per modum plurium. Respondeo, quia polygonum multa habet plana, in quorum singulis objectum producit sui speciem, quæ proinde in totidem refringuntur dissimiles pupillæ oculi partes; dixi dissimiles pupillæ oculi partes, quia non videtur sufficiens illa nonnullorum ratio, idè id esse, quia discontinuantur species objecti, nam discontinuantur etiam species ejusdem subjecti, quando videtur idem objectum utroq; oculo sine polygono, & tamen objectum non apparet multiplex, unde præter discontinuationem specierum requiritur ulterius, quod refringantur in dissimiles partes pupillæ oculi, quod fit per polygonum.

XVII.
Quare specula
representant
objecta
modo inverso.

Quæres secundò: Quare speculum & alia corpora diaphana representent objectum nobis ante se posita modo inverso taliter, ut cuspides turrium appareant in fundo aquæ, & fundamenta in suprema parte, & homini insipienti speculum apparet facies sua quasi versa ad se? Respondeo rationem esse, quia species non solum est representativa objecti, sed & distantia, ita ut in viciniore parte representet illud quod minus distat, unde est quod in suprema parte aquæ appareat fundamentum turris, pedes hominis penes ripam ambulantis, & cuspis turris ac caput hominis in profundo, quia fundamentum turris minus distat ab aqua, magis cuspis.

XVIII.
Cur ebrii
appareant
omnia rotari.

Quæres tertio: Cur Ebrii & pueri petulcis sese rotantibus omnia appareant circumagi? Respondeo in ebriis provenire ex larga & magna copia spirituum, qui tunc valde calidi & mobiles nascuntur, & suo motu inquietant organum Visus; In pueris verò hoc provenit ex magna spirituum commotione, qui commoti in magna copia ad oculos tendunt eosque perturbant.

XIX.
Cur aliqui
clarè de nocte
videant.

Quæres quartò: Quomodo aliqui expergefati ex somno æquè clarè videant etiam de nocte ac interdiu, ut legitur de Tiberio, imò hoc quotidie contingere cernimus in felibus, & aliis animalibus de nocte prædam venantibus? Respondeo hoc fieri ex abundantia luminosorum spirituum, qui in corporibus certi temperamenti generantur, & ab oculis diffusi certam medii partem illustrant, imò factis probabile est in quovis oculo aliquid luminis reperiri, unde in vehementi oculorum commotione frequenter apparet splendor quidam & in furiosis, ac iratis scintillæ quædam promicare apparent. Unde etiam D. Augustinus lib. 12. Gen. litt. cap. 16. ait: *Lux per oculos sola diffunditur: Visus enim se foras porrigit, emicatq; in radiis ad visibilia contuenda: Et alibi sæpè, non voluit tam visionem per solam emissionem istam fieri, ut patet ex dictis.*

XX.
Cur aliqui
non possint
oculos diu in
rem defigere.

Quæres quintò: Cur aliqui non possint diu oculos in aliquam rem defixos tenere? Respondeo hoc provenire ex inopia & debilitate spirituum vitalium, ob quam causam oritur etiam, quòd senes debiliorem habent visum, quàm juvenes.

Quæres sextò: Cur senes ut objectum distinctius videant illud à se removeant, læsi vero ut idem bene percipiant, ad viciniam applicent? Respondeo, quia senes jam partum luminis interni habent objectum magis illustrare ad laborant lumini externo: Læsi verò lumine interno abundant, quare admotione viciniori externum lumen impediunt, ne sensibile vehemens impediatur sensationem.

Quæres septimò: Quare collimatorum in scopum claudant unum oculum? Respondeo, quia radius visualis parallelus esse debet cum instrumento, verbi gratià Bombarda, ita a non declinet neque ad dexteram, neque ad sinistram, si verò aperiuntur ambo oculi, radius visualis non erit parallelus cum Bombarda, si conspiciatur scopus per extremitatem Bombardæ, seu instrumenti.

Quæres octavò: Unde oritur quòd per angustum foramen maxima moles videri non possit, si oculus foramini applicetur, e contra verò si lapis minimus potentia vivæ applicetur metur nimium, vix aliquid aut nihilum de maxima mole cerni potest? Respondeo rationem esse, quia visio fit per emissionem specierum & receptionem ad modum pyramidis, cuius cuspis est in centro oculi, in quo lineæ visuales concurrunt, si oculus est propè foramen radii visuales causant majorem angulum, & consequenter magis se dilatant verius basim pyramidis & consequenter magnam comprehendunt machinam, & si potentia viviva ab oculo elongetur, radii visuales inter se etiam colliguntur, adeoq; minus objectum representant, per quod pariter colligitur quid sit dicendum de oppositione lapidis ad potentiam visivam.

QUÆSTIO IV.

De Auditu & Audibili.

Quanta sit auditus dignitas fides & ethicæ describit S. Bernardus Serm. 29. in Cantu ubi primatum ei in rebus fidei attribuit. Et scias, dicit mellifluus Doctor etiam Spiritum hunc in anime spirituali profectu ordinem observari, ut videlicet prius formet auditum, quam intellectum. Audi inquit Filia & vide, quid intendo oculum aurem para. Vide desideras Christum: oportet prius audire de eo, ut dicas cum videris fieri audire sic vidimus. Immensa claritas, visus angustus & non potes ad eam potes audire, sed non aspectu. Et certe in hoc primatum obtinet, oculus tamen excellenti prærogativam jam dudum obtinuit, ex alia autem sensibus Auditus nulli est secundus, tum ob summam utilitatem, & necessitatem ad vitam civitatem & politicam agendam, supercaneæ etenim forent voces, literæ & orationes, si potentia non esset, quæ eas perciperet, tum quia potentia auditiva magistra est scientiarum, magistra est & fidei, nam & Aristoteles lib. de sens. & sensib. inquit, Audire esse discipulatum sensum. Auditus proinde definitur solet, quod sit sensus perceptivus soni, quæ definitio de se patet, nam omni auditui convenit sicut & sola.

Aurium situs communiter & ordinariè in capite est circa temporum extremitatem. Dicitur & dico ordinariè, quia nonnulla inventiuntur etiam in animalia.